

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 28. (*Neovidensis* 1806. Nro. 21.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Hollandicus miles salutem dicit suae  
Amasiae Elysium incolenti.

*Ex mundo superiore*

---

Elysium-Meum.-Die Mart. 25. Martii 1806 (Neov. II. Martii. 1806.)

---

Dilecta Rosinula!

Graves luo pœnas: hodierna dies tuo nomine, Rosina, insignitur. Quam svavis recordatio! Nomen meæ dilectæ, tuus dies natalis, Rosula! Omnia mihi meam jacturam revocant in memoriam; mœrore conficior. Eras mea rosa, sed marcuisti, defecisti, & ego aberam! — Officium me avocavit, atque a recessu Austrino ad Danubium usque transposuit; victima cecidisti mortis, & ego non eram præsens! quotidie vitæ discrimini expositus remansi solus: Cur me non tetigit globus hostilis? ideone fatum mihi percipit, ut eo gravius sentirem tui jacturam, ut tuo amore, & benevolo erga me animo privarer?

Publicata pace quantum revixerim, nequeo explicare. Ah! omnes jucundissimas cum reditu meo obventuras scenas in animo effinxi, totum me voluptati tradidi, quæ me

in patria operiebatur; Tu fuisti illa voluptas, qua nonnisi tecum existens, & tui recordando, affectus sum. At malum! hac ipsa jucunda pacis die redditæ mihi sunt litteræ, sed non tua manu exaratae, & hæ — jam enim non vixisti, tuam mihi annunciarunt mortem.

Si tunc adhuc bellum fuisset continuatum, irruissem in hostes, quæsissem mortem, ut tecum essem, tecum — post mortem; sortes nostræ fuissent ibi in in æternitate conciliatæ. Nunc vivo solitarius, infelix, sine spe, sine amore. Tum oberro, cogito locum, in quo moraris; jam animo obversatur Cœlum, jam Elysium, in quo tu perinde cogitabunda circuis, meque præstolaris. Heu ubi sunt illæ sedes beatorum? ubi locus, in quem mea Rosa delata est? Semper in te animum intendo, sollicite inquirō in faustam tuam commorationem, meque solor spe, te vivere adhuc non quidem in hac valle miseriarum, sed illa regione, in qua omnes iterum conventuri sumus. Ah! ubi est illud Cœlum, cujus desiderio tantopere teneor? Et in hac incertitudine incipio iterum dubitare, ut me extricare nesciam — Sed certe extat locus, in quem iterum omnes congregabimur, hoc animus meus divinatur, in hoc omnis mea spes requiescit, tu profecto ibi jam domicilium fixisti!

Investigo — forte sunt campi Elysii, patria beatorum, quam Homerus, & Virgilius tam eleganter descripserunt, ubi defuncti

manes in umbras conversi peregrinantur; ubi perpetuum ver omnes campos floribus ornati ubi coelum nunquam obducitur, & ubi, cogor fateri, a felicitate adeo laudatis umbris tempus terribiliter longum esse debet, ut fieri solet, dum eadem crambe semper repetitur.

Forte est celebre *Eldorado*, illa optimi mundi metropolis, in qua assæ columbæ ori involant, in qua nectar instar cataractæ defluit, in qua quis semper comedere potest, quin contrahat stomachus cruditatem, & semper bibere absque capitis doloribus, & denique in qua sensuum illecebris nova constanter offa porrigitur? Hic tu certe non habitas, casta anima! pro asseclis Voltæri est iste locus.

Forte est paradisi Corani, ubi palatia auro, et adamantibus exornata resplendent, ubi millena utriusque sexus mancipia vita functorum turcorum mandata excipiunt: ubi pulcherrimæ mulieres Circassiæ amænam reddunt habitationem; sed eheu! ubi nullam amicam, nullum est reperire amicum? O meæ delicix, hic tu non moraris, in purioribus sedibus recipis mercedem virtutum.

Forte est regnum Ossiani, in quo bellatores Scandinaviæ, ita fortiter quidem ut Græci, at minus humane, perpetua gerunt bella, in quo senes, & juvenes, parentes & liberi conflictus exoptant, & in aurea arce super cadaveribus saltus instituunt; ubi pro-silit Bardus; præliatur, & mortuus iterum

resurgit, & ex hostium craniis bibit hostilem sanguinem in salutem Odini? Ah! quis invidet tam horridam felicitatem Fingalio, vel Mornio? Dilecta Rosina? hic locus non est tibi conveniens, mansuetudo tua aliud meretur regnum, satis jam bellatum est, post hanc vitam æterna fruemur pace.

In has me mæror conjicit cogitationes, te quæro, o venustissima rosa! in omnibus beatorum sedibus, quas nobis antiquitas exstruxit, te quæro; Sed quo rapior? Non video coelum, de quo tanta a primis ut ajunt ungviculis, audivi. Hoc solum potest tuas virtutes remunerari, hoc solum me tecum conjunget. Quare hic adhuc peregrinabor, uni spei usque ad finem vitæ intentus, futurum certo, ut te aliquando ibidem in numero beatorum conspiciam. Quo ut perveniam, sola virtus me dignum efficiet. Quare, amata Rosina! tuis insistam vestigiis, meam virtutem tuo feram in acceptis exemplo. Quam in explicabiles sunt viæ divinæ providentiæ! Illa me ad te deducet.

Habeo, quod tibi de nostra patria significem — ex publicis ephemeridibus, quæ nostrum statum orto bello ita depingunt.

Ex limitibus Hollandiæ de 7. Februarii, Restituta pax in continente summam nobis parit voluptatem. Verum est, conditionem nostram fuisse valde ancipitem, si enim Rex Borussiae ante, vel post prælium ad Austerlitz commissum se contra nostrum Imperatorem declarasset, & cum altera parte exercitus ver-

sus D  
fuisse  
tibus  
rator  
grega  
origi  
plica  
rator  
fama  
tunc  
svasi  
Nap  
auxi  
set,  
cum  
am  
vest  
sere  
mor  
Mag  
Aus  
Utin  
quæ  
mo  
spic

gesta  
nate  
pro  
am,  
rim  
to

sus Danubium, cum altera vero ad Rhenum fuisset profectus, sine dubio Hollandia, militibus destituta, venisset in potestatem fœderatorum, qui in Ducatu Hanoverano congregati erant, profecto Borussica aquila in origine Scaldis, & Sabis ante potuisset explicari, quam ad nostrum strenuum Imperatorem, longius in Moraviam penetrantem, fama de occupata Hollandia pervenisset. Et tunc totum onus belli nobis incubuisset. Persvasissimum quidem habemus, Magnanimum Napoleonem advolaturum fusisse in nostrum auxilium; Ast quomodo aliter id fieri potuisset, quam retrahendo exercitum per Italiam, cum hoste enim, qui ei ad Monachium, viam præclusisset, & cum altero, qui certe ejus vestigia pressisset, eodem tempore manus conserere fuisset res plena aleæ. Gratix immortales Regi Borussix! Salus Napoleoni Magno, qui ita cito pacem conclusit cum Austria, ut bellum declinaret Borussicum. Utinam conservet Borussia hanc politicam, quæ nos adeo fortunatos reddit! Grato animo recognoscunt etiam Belgæ, & ipsi perspicaces Galli, quid debeant Borussis.

Aliud ex Gallia Parisiis: *Legatio suæ Majestatis, Imperatoris, & Regis ad Senatum*: Senatores! Volentes dare argumentum nostræ propensionis, qua erga Principem Stephaniam, neptem nostræ multum dilectæ conjugis ferimur, despondimus eam Principi Carolo, futuro Electori Badensi, qua occasione conveniens

judicavimus nominatam Principem Stephanam Napoleonem in filiam nostram adoptare. Hæc sponsalia profluxerunt ex amicitia, quæ nos jam a pluribus annis cum Electore Badensi intime connectit, sed etiam visa sunt nostræ politicæ, & bono nostrorum populorum longe utilissima. Nostræ Rhenanæ provinciæ cum gaudio intelligent hanc desponsionem, utpote novum motivum, suum commercium, & jura vicinitatis cum subditis Electoris Badensis conservandi. Eximiæ dotēs Principis Caroli Badensis, atque singularis animi proclivitas, quam nobis semper exhibuit, certum nobis præstant vadimonium, felicem futuram nostram filiam. Cum soleamus omnia nostra cum Senatu communicare, existimavimus non esse diutius differendum nuncium de initis sponsalibus, quæ nobis gratissima sunt. Datum in nostro palatio 4. Martii 1809 Subscriptus Napoleon. Per Cæsarem, Minister Status Secretarius subsignatus H. B. Maret.

*Summa extracta ex Indice Senatus conservatoris die Martis 4. Martii 1806.*

Senatus conservator ex membris numero juxta nonagesimum constitutionis articulum præscripto congregatus deliberavit de negotio nomine suæ Majestatis Imperatoris per Serenissimum Principem Archicancellarium Regni in hodierna sessione secum communicato, & concernente adoptionem in filiam Principis Stephanæ Napolionis, neptis suæ Majestatis Imperatricis, atque sponsalia ejus-

dena  
Bade  
in ea  
lem  
sequ  
rator  
excip  
Regi  
tione  
que  
dens  
atqu  
ex  
cogi  
qui  
Her  
mira  
Patr  
Reg  
depr  
tat;  
strat  
inco  
bris  
jesta  
a Ge  
  
elec  
suar  
scrip  
pere  
lari

dem cum Principe Carolo hærede Electoris Badensis, atque audita relatione eorum, qui in eadem sessione nominati erant ad specialem causæ hujus cognitionem conclusit, ut sequens suæ Majestati detur responsum Imperator! „Senatus semper intimo cum sensu excipit argumenta fiduciæ Vestræ Cæsareo-Regiæ Majestatis! Materia legationis de adoptione Principis Stephanæ Napoleonis, ejusque matrimonio cum Principe Carolo Badensi est novum documentum illius sapientiæ, atque omnia comprehendentis ingenii, quæ ex omnibus Vestræ Majestatis actionibus, cogitationibusque elucet. Imperator! Populi qui assveverunt in Vestra Majestate primum Heroem, & perspicacissimum Politicum admirari, cum gaudio agnoscunt esse optimum Patrem. Senatus properat Vestræ Cæsareo-Regiæ Majestati summa cum veneratione suam depromere gratulationem, nihil enim dubitat; quin hæc nova paternæ Regni administrationis actio communi lætitia repletura sit incolas ad utramque ripam habitantes celebris illius fluvii, qui, sit gratia Vestræ Majestati, postquam tam diu separavit Galliam a Germania, nunc amico nexu copulabit.“

Ordinarius Præses & senatorii secretarii electi sunt, qui hoc responsum deferant ad suam Cæsareo - Regiam Majestatem. Subscriptus Cambaceres Præses, Candaux, & Depere. Secretarii. Datum & signatum. Cancellarius Senatus, subscriptus Laplace.

Londino 28. Febr. Jam ab aliquot hebdomadibus mussitabatur Londini, promontorium bonæ spei esse in manibus Anglorum. Res hæc circumferebatur ut incertus rumor, præsertim cum Hollandicæ ephemerides constanter propugnaverint, coloniam hanc in optimo esse statu. Repente 28. Februarii & Londinenses ephemerides, & tormenta in portu Dubrisiensi soluta palam fecerunt, promontorium bonæ spei post initum 8. Februarii prælium deditioe fuisse captum.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, præter complures alios, libri venales prostant :

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélié 1 fl. 8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.  
Egymassal - való barátságos beszélgetés, melyet eszve-szedett, és a' főbb engedelemből közre bocsátott Sz. Benedek' rendén lévő Ph. Hollósi Egyed. Második meg jobbatított ki-adás. 8. 1805. 48 kr.

---

N

Elysi

Quo

mag  
Lux  
nes,  
chra  
non  
quo  
Elat  
urbi  
thea  
orn